23

DISPVTATIO INAVGVRALIS
MEDICO-CHIRVRGICA.
De
ΥΔΡΟΣΑΡΚΟΚΗΛΗ.

Quam

Archiatro Summo Præſide,

JVSSV ET AVTHORITATE

Magnificæ Ampliſſimæ & Gratioſiſſimæ

Medicæ Facultatis

In

Celeberrima ac Perantiqua Rauracorum Academia

Pro

Summis in CHIRVRGIA ut & MEDICINA Honoribus & Privilegiis Doctoralibus legitimè obtinendis.

Publicè ventilandam proponit

ALEXANDER PFISTERVS
Scaphus-Helvet.

Ad d. X. Maji An. M. DC, LXXXIX.

Horis ſolitis.

Exc. d.d. Reiſelio

BASILEÆ TYPIS JACOBI BERTSCHI.

QVADRIGÆ MEDICORVM CELEBERRIMÆ

VIRIS

Nobiliſsimis, Clariſsimis, Excellentiſsimis, Experientiſsimis,

JOHANNI JACOBO WEPFERO.
CHRISTOPHORO HARDERO.
HENRICO SCRETÆ à Schotnau & Zavorziz.
JOHAN. CONRADO PEYERO.

Nec non

VIRO Venerando, Clariſsimo,

BALTHASARO PFISTERO.

Eccleſiæ Scaphuſ. Antiſtiti Vigilantiſſimo.

Ut &

Nobiliſsimo ac Prudentiſsimo VIRO

JOHANNI JACOBO OSVALDO,

apud Scaphuſianos frequentioris Senatûs Aſſeſſori Meritiſſimo.

Dominis, Mœcenatibus, Patronis, Fautoribus, Cognatis, Parenti, & C. B. Deo Socero.

(æternùm ſibi venerandis)

Inauguralem hanc Diſput. Medico-Chirurgicam

In

Debiti honoris teſtimonium,
Gratæ mentis teſſeram,
Conſtantis obſequii ſymbolum,

Eâ quâ par eſt animi ſubmiſsione (cum ſempiternæ felicitatis voto) D. D. O.

Se, ſuaque Studia humillimè conſecrare debuit, voluit.

AVTHOR.

Σὺν Θεῷ.

I. HYdroſarcocele etymologicè conſiderata, tumorem compoſitum, & è diverſa ſubſtantia conflatum, nobis proponit, qui hactenus ab omnibus ferè authoribus herniis annumeratus fuit, idq; non aliam ob cauſam, quàm quòd nonnunquam inteſtina cum omento ex abdomine in ſcrotum (hujus affectûs ſedem) provolvi, ibidemque tumorem producere, animadverterint.

II. Verùm, ſi rem ipſam conſideremus, & rectâ rationis trutinâ perpendamus, ſtatim videbimus, hujusmodi tumores in herniarum cenſum venire non poſſe, niſi unà iisdem velimus accenſere hydrocephalum, aneuriſmata, varices, tumores cum folliculis, &c.

III. Nam hernia propriè dicta (aliàs prolapſus, crepatura, ruptura, ramex, deſcenſus inteſtinorum &c. nominata) definiri poteſt, quòd ſit tumor, productus non in umbilico, vel in inguine tantùm, verùm etiam in quavis alia parte abdominis, modò ab inteſtinis, modò ab omento, vel ſeorſim vel unà junctis, & è naturali ſede prolabentibus, ac peritonæum vel ſenſim dilatantibus, vel uno ictu dilacerantibus, hocque diverſi generis hernias producentibus. Unde ſatis patet, quòd tantummodò illi tumores, qui vel inteſtina vel omentum pro materia agnoſcunt, veræ herniæ nominandi ſint.

IV. Ego hâc vice in honorem Veterum, qui nobis

bis hæc nomina reliquerunt, & in gratiam Neotericorum, qui nova excogitare dubitârunt, hanc denominationem ſervabo, & melioris cognitionis gratiâ Hydroſarcocelen herniis annumerabo, præſertim cùm nova omnibus non arrideant, nec inde æger ſe meliùs habeat.

V. Componitur autem hæc vox ἐκ ὕδατος, σαρκὸς, καὶ κήλης, ex aqua, carne & tumore, quaſi dicas, tumorem aqueo carneum, ſeu ut vulgò nominant, Herniam aqueo-carnoſam, ein Fleiſch- und Waſſer-Carnöffel. Κήλη verò non tam Herniam in ſpecie, quàm alium etiam tumorem, cujuscunque generis ſit, ſignificat.

VI. Hydroſarcocele definitur, quòd ſit tumor teſticuli p. n. ex aqua & carne concretus (quæ modo tunicis teſticuli propriis adnaſcitur, modò totam ſubſtantiam teſtium includit & occupat) durus, renitens, inæqualis, ex aliqua parte lumen transmittens, plerumque indolens, qui ſenſim & ſenſim augmentum ſumit, & tandem pondere moleſtus eſt. Tumor hic è diverſa ſubſtantia compoſitus, compoſitam herniæ ſpeciem repræſentat, quam melioris diſtinctionis & explicationis ergo dividam in Hydrocelen & Sarcocelen, quippe quæ non rarò Sarcoceles induit naturam.

VII. Eſt autem Hydrocele tumor aquoſus, tactu modò durus, modò mollis, pellucidus, modò ſcrotum occupans, modò tunicas teſticulorum diſtendens, non rarò folliculis interſtinctus; ubi aqua in ſcroto continetur, vocatur hydrops ſcroti: intra tunicam verò erythroidem & albugineam hydrocele nuncupatur. Per aquam nihil aliud intelligo, quàm lympham extravaſatam, id quod ex mucagine partim, partim etiam ex gelatinoſa tenacitate colligi poteſt.

VIII. Viæ per quas lympha hæc iter ſuum inſtituit,

tuit, nunc inveſtigandæ ſunt. Quærendæ autem ſunt, vel in ſcroto, tanquam parte affectâ, vel extra ſcrotum: in ſcroto reperiuntur vaſa diverſi generis, nervi ſc. arteriæ, venæ & vaſa lymphatica, item tunicæ propriæ & communes, cum teſticulis: extra ſcrotum nullus datur commodior locus, quàm abdomen.

IX. Ex nervis hanc lympham deducere cum Gliſſonio, ſeu ex ſucco nervorum (de cujus exiſtentia multi adhuc dubitant) derivare velle, nulla ratio ſuadet. Arterias quod attinet, ex illis potiùs quàm venis, lympham elicere poſſumus, tum ratione circulationis ſanguinis arterioſi, qui à centro ad extremitates pulſu propellitur, cùm venoſus à peripheria ad centrum curſum dirigat, tum ratione lymphæ ipſius, quæ ab extremitatibus ad cor movetur: tum experientiâ ſummi Chirurgi M. A. Severini (quem Excellentiſsimi Viri Bartholinus & Schelhammerus teſtem adducunt) qui bonâ fide ſcriptis prodidit, in ſanguine per arteriotomiam extracto, duplo plus ſeri repertum fuiſſe, quàm in venoſo. His adde experimentum Lovverianum in lib. de corde cap. 2. deſcriptum.

X. Propterea tamen venoſum ſanguinem hoc liquore non privabo, cum quo portio aliqua æquè adhuc commixta eſt, & ad cor revehitur: numquid ergò vaſa lymphatica à lympha denominata excludere fas foret? Vel an non etiam tunicæ ſcroti, tam propriæ quàm communes, ejusmodi quid continent? nemo ſanæ mentis de hoc dubitabit, cùm non tam ſcroti, quàm reliquarum totius corporis noſtri tunicarum lubricitas, continuusque mador abunde nobis id oſtendat.

XI. Ex abdomine lympham ſæpiſſimè in ſcrotum deſtillare, quotidiana nos docet experientia: id autem ſi accidit, non fit per vias patulas & manifeſtas,

 nam

nam ejusmodi non dantur (præſertim ſi cum Barth. tr. de ſtruct. diaphrag. & Svvammerdammio de fabrica uteri ſtatuere velim vaſa ſpermatica non per peritonæum, ſed ſub eodem ad teſtes properare & pergere) ſed imprimis per transſudationem, quamvis etiam non raro in Enteroepiplocele ingens lymphæ quantitas in ſcroto ex omenti vaſis colligatur, & triplicem Herniam producat.

XII. Cauſam hinc Hydroceles, proximam & immediatam lympham eſſe aſſero, quæ vel in ſcroto, vel in tunicis teſticulorum propriis collecta continetur.

XIII. Cauſæ mediatæ propinquiores, ſunt ejusdem liquoris particulæ, quæ vel ex arteriarum & venarum oſcillis aut *occultis tunicarum poris*, ut loquitur Excellentiſſ. & Experientiſſ. D.D. Harderus, Philoſ. & Med. Doct. Anatom. & Botan. Prof. Celeberr. Sereniſſ. Princ. Badâ-Durlac. Med. & S. R. I. Academ. Nat. Cur. Pœon & Patavin. Illuſtr. Recup. Socius Digniſſimus, Hoſpes & Promotor omni honoris cultu ſemper proſequendus, in Apiario Obſ. 72. p. 279. *ſive per diapedeſin transſudant, ſive per anaſtomoſin ex iisdem apertis defluunt.* Vel vaſa lymphatica à contuſione, ſeu alia aliqua violenta cauſa externa dilacerata, quæ ſuum quoque ſymbolum conferunt: vel aqua in abdomine contenta: quamvis ultimum hoc, potiùs hydropem ſcroti, quàm hydrocelen producat.

XIV. Lympham intra proprias teſticulorum tunicas collectam, vel ex vaſis ſpermaticis & lymphaticis, vel ex tunicis teſticulos ambientibus provenire, & non ex abdomine, abunde ſatis §. 11. demonſtratum eſt, ſed adhuc firmius argumentum deſumo ab omnimoda teſticuli ablatione, vel folliculi lympham continentis ligatione & corrugatione tunicæ erythroideæ,

cica-

ſicatrice obfirmatæ (ſecund. Hild.) ubi non tantum ullus ſcroti hydrops, ſed etiam nullus aſcites (quod ltimum tamen neceſſariò contingere debuiſſet) ſupervenit.

X V. Nec minoris momenti eſt, quod legitur in epulchret. Excell. Theoph. Boneti. p. 1295. Obſ. 2. *Teſtis quidem tunicâ involvitur vaginali, at ea non extendit ultra teſtem, ſed circa vaſorum pyramidalium baſin eſinit, teſti unita, adeoque tranſitus hic loci nullus verſus abdomen. - - - Hæc dum proponimus, neutiquam atulentam, ſeroſamve Herniam (ſic liceat loqui) produci oſſe negamus, à materia ſpatio inter teſtem & tunicam vaginalem congregata: hanc enim Medicorum obſervationes frequentiores ſatis probârunt: aſt hic inter locum, uem materia hæc occupat, & ventrem infimum, nullus atur nexus: poterit enim vitioſa hæc affectio hic loci orii, nil vitii in ventre ipſo exiſtente.*

XVI. Cauſæ mediatæ remotiores nonnunquam tiam in primis viis quærendæ ſunt, & à victûs ratione perperam inſtituta, unde chylificatio variis modis epravatur, dum cibi ingeſti non ritè fermentati chyum crudiorem, ſanguinemque viſcidiorem reddunt, etendæ: nam qualis cibus, talis chylus, qualis chylus, alis ſanguis. Sanguine autem viſcido exiſtente, fieri on poteſt, quin lympha, exinde ſecreta eandem induat ndolem, ſanguinis motus torpidior reddatur, & lympha hinc inde in anguſtioribus tubulis ſtagnare incipiat, & acrior non rarò evadat.

X V I I. Præter has duæ adhuc non aſpernandæ legantiſſimè deſcribuntur ab Excellentiſſ. & Experientiſſ. D. D. Joh. Jac. Hard. loc. cit. quæ etiamſi ibi hydropem effecerint, meritò tamen huc trahendæ ſunt, eu confirmabitur §. 33. *Obſtructio nempe & compreſ-*

ſio

ſio vaſorum emulgentium, ſive à calculoſa materia, ſive à ſcyrrho illis incumbente proveniant. Huc quoque collimat lumen noſtrum Chirurg. Fabr. Hild. Obſ. 66. Cent. 4. *Seroſus ille humor (ſunt authoris verba) in membrana teſtem involvente, erythroidea dicta colligitur, idq; præcipuè fit rene ſiniſtro, ut Dodonæus rectè annotavit, malè affecto, quapropter ſeroſos humores, non attrahens, & ad veſicam mittens, per venam ſeminariam, quæ iſto in latere ex emulgente procedit, in membranam erythroidaem delabitur.*

XVIII. Cauſæ externæ variæ quoque recenſeri poſſunt: ex. gr. ictus, contuſio, compreſſio teſticulorum, caſus, equitatio fortis.

XIX. Signa diagnoſtica quod attinet, hydrocele ab enterocele (vera herniæ ſpecie) diſtinguitur. 1. Inæqualitate tumoris, præſertim ſi omentum cum inteſtinis prolapſum ſit, quæ cum murmure in abdomen reponuntur; hydrocele verò tumor eſt æqualis, qui cum teſticulo, non in cavum abdominis, ſed modo ad inguen uſque, modo de latere in latus urgetur, ſicut fieri ſolet cum tumoribus folliculo incluſis: interdum verò tunicæ ita humore ſ. lymphâ turgent, ut absque dolore verſus ſuperiora comprimi nequeant. 2. In Enterocele (niſi inveterata & nimis magna fuerit) ſi æger ſupino capite ac elevatis nonnihil cruribus decumbat, inteſtina plerumque proprio motu abdomen ingrediuntur, vel etiam leviſſimâ preſſione reducuntur: hydrocele verò eandem formam & magnitudinem retinet, nec quicquam in illa mutatur, præter duritiem, quæ calore nonnihil cedit, frigore verò augetur. 3. In enterocele tumor ſemper in inguine conſpicitur, in hydrocele, niſi in majoribus tantùm, circa teſticulum tumor adeſt. 4. Enterocele in inguine primò oboritur, hydro-

ydrocele verò in ſcroto. 5. In Enterocele flatus, olica, alvus adſtricta, ſæpiſſimè ægrum infeſtant, quod n hydrocele nunquam accidit.

XX. Difficilius multo hydrocele à ſarcocele diſtinguitur, & nonnunquam vel oculatiſſimi decipiuntur: uterque enim tumor durus ac renitens & pondere moleſtus eſt: ſenſim ac plerumque ſine dolore accreſcit: certiſſima exploratio fit, ſi æger in obſcuro loco, oppoſito lumine, ſive ad radios ſolares tumorem pellucidum animadvertat: tum enim hydrocelen eſſe ſecurè pronunciare poſſumus. Nam carnoſa lumen transparere nunquam permittit: hydrocele ſæpiſſimè tactu frigidior reperitur, quàm ſarcocele: lympha per diapedeſin transſudans pruritum excitat, interdum cum tanta acredine conjunctum, ut partes vicinæ, inprimis verò ſcrotum excorietur: in dextro latere pariter atq; in ſiniſtro exoritur. In hydrope ſcroti fluctuatio adeſt, ſcrotum intumeſcit inſtar veſicæ, ſine rugis, pellucidum apparet absque lumine, tumor adeſt mollior.

XXI. Prognoſis pro diverſitate affectûs mutanda eſt. M. A. Sever. in pyrotechniæ Chirurg. l. 2. c. 76. hæc habet: *Graviſſimus eſt affectus hydrocele, ſive aquoſa hernia, atque eo etiam pejor, quod excuſſo ſemel humore, recidivam recipit.* Hydrocele incipiens, faciliùs ſanatur in junioribus, quàm adultis, ſed facilè iterum redit: affectus hic nonnunquam plus moleſtiæ ob ponderis gravitatem, quàm periculi ſecum habet: difficiliùs curatur, ſi lympha in pluribus folliculis incluſa detineatur: lympha diu reſtagnans, ſæpiſſimè acrior reddita, vaſa erodit, & ſenſim ſarcocelen producit: hydrops ſcroti, præſertim in infantibus facilè ſanatur, ſi nulla alia ſymptomata conjuncta adſint.

XXII. Antequam hydrocelis curationi me accingam,

gam, paucis quid ſarcocele ſit, indicabo. Sarcocele eſt tumor carnoſus, durus, renitens, glanduloſam ſubſtantiam præ ſe ferens. (*unde etinm Celeberr. Warth. in adenograph. c. 39. ſarcocelen inter glandulas penſiles morboſas numeravit*) qui nonnuquam teſticulo adnaſcitur ſæpiùs verò eundem cum vaſis ſpermaticis ſuccingit, ſenſimque accreſcit, plerumque indolens, interdum tamen cum dolore punctorio & lancinante conjunctus eſt.

XXIII. Cauſa proxima ſarcocelis eſt lympha viſcida in vaſis teſticulorum tortuoſis ſtagnans, acrior reddita, quæ ſenſim erodendo vaſcula capillaria, facit ut ſubſtantia carnoſa ſenſim & ſenſim in tantam accreſcat molem, quam ægri præ pondere non ampliùs ferre poſſint.

XXIV. Lympham hujus tumoris cauſam eſſe, ipſa tumoris exſtirpatio ſatis evincit, cùm plerumque hydatides modò plures, modò pauciores circa externam ſuperficiem affixi, vel intùs in ſubſtantia abſconditi reperiantur: cujusmodi exempla duo extant apud *Hildan. Obſ. 64. C. 4. tertium addit Obſ. 67. Cent. 4. ejusmodi quid Bartholinus quoque obſervavit. Act. Hafn. an. 1671. & 72. Obſ. 28.*

XXV. Idem confirmant quoque contuſiones teſticulorum à cauſa violenta externa productæ, quibus vaſa jam per ſe ſatis tortuoſa, magis magisque contorquentur, contorta obſtruuntur, unde diſtenſio, dolor, vaſorum dilaceratio, humoris extravaſatio oritur, qui ſtagnando acrior redditur, partesque, ut dictum, arrodendo, earumque vaſcula, carnem luxuriantem, nonnunquam glanduloſam producit.

XXVI. Unde lymphæ viſciditas deduci poſſit ſuprà §. 16. jam dictum fuit, quare iisdem hic repetendis ſuper-

perſedebo: hoc tantummodo addens, plures ſuprà numeratas cauſas, huc referri poſſe: ex. gr. compreſſionem, & vaſorum ſpermaticorum, teſticulorumque obſtructionem, quocunque modo illa fieri poſſit: equitionem fortem &c. quæ omnia ſeorſim, vel conjunctim ſumta, ſarcocelen producere poſſunt.

XXVII. Ex ſemine retento ſarcocelem provenire poſſe, nos docet Fabr. Hild. loc. cit. ex inflammatione teſticulorum (præſertim ubi gonorrhœa virulenta præceſſit) ſæpiùs ſarcocele oritur, imprimis ſi ſtatim ab initio repellentia & refrigerantia adhibeantur, unde teſticulus induratur, & in ſcirrhum convertitur: qui non raró in cancrum degenerat.

XXVIII. Signa nonnulla ſarcoceles jam ſuprà §. 10. enumerata ſunt, tumor ſenſim augetur, caro interdum inſtar funis vaſis circumnaſcitur: unde durities à teſticulo ad inguen uſq; facilè digitis perſentitur; in aliis dolor non adeſt, nonnulli verò dolorem perſentiſcunt punctorium, qui è teſticulo prodiens, inguen pervadit, & ad renes uſque communicatur, etiamſi teſticulus in molem ſatis ingentem excreſcat, vaſa tamen naturalem craſſitiem interdum retinent. Foreſt. c. 23. l. 27. ſeq. ſigna deſcribit: *Deprehenditur (ſarcocele) à tumore rotundo, duro, imprimis teſticuli formam referente, & qui longo tempore pedetentim increſcat.*

XXIX. Prognoſis. Sarcocele absque periculo & ſine impedimento per plures annos multis circumfertur: ſarcocele incipiens, topicis quidem non planè curatur, ſed ne nimis augmentetur, impeditur. Sarcocele inveterata, ſolâ Chirurgia, & quidem teſticuli ablatione curatur: ubi dolores lancinantes & punctorii adſunt, ſummâ cautione opus eſt, ne mali quid portendat: ubi vaſa ſpermatica, inſtar funis indurata & dolentia reperiuntur, melius eſt planè manum abſtinere, eſ-

 fato

effato Celſi. l.7. c 23. Cui Foreſtus l. 27. Obſ. 23. ex Ronſæo ſubjungit, *Suadent propterea alii, ut ramicem hunc (ſarcocelem) ceu deploratum ac deſperatæ ſalutis, omninò relinquamus prognoſticis, ac repudiemus.*

XXX. Hisce præmiſſis, quilibet nunc facillimo negotio & cauſam & ſigna hydroſarcoceles cognoſcere poterit: nam cùm hic affectus ex jam deſcripta hydro & ſarco-cele componatur, ideo ad eum bene perveſtigandum & cauſæ & ſigna prædictarum conjungi debent. Prognoſin quod attinet, unico verbo illa abſolvitur, nempe hydroſarcocelem nonniſi orchotomiâ curari poſſe.

XXXI. Cognitio morbi primus gradus eſt ad ſanitatem, de hydrocele dixi, cauſam primariam eſſe lympham vel in ſcroto, vel in teſticulorum tunicis collectam: nunc etiam de curatione cogitandum erit, quam paucis abſolvam. Indicatio curatoria mali ablationem requirit, quàm ferè vel diſſipatione, vel evacuatione acquirimus: Præſervatoria autem cauſæ antecedenti ſatisfieri cupit. Utrumque ſi conſequi velimus, remedia è triplici fonte, pharmaceutico, chirurgico, & diætetico petenda erunt.

XXXII. Suprà jam demonſtratum eſt, morbi hujus fomitem inprimis delitеſcere viis, indeq́ue ſanguini & lymphæ communicari. Si itaque ventriculus viſciditate & multâ pituitosâ ſaburrâ inquinatus ſit, ita ut cibi ritè fermentari, legitimè diſſolvi, & in laudabilem chylum converti nequeant, impedimenta hæc auferenda erunt. Id quod commodè fieri poteſt, medicamentis præparantibus & incidentibus (ut eò melius poſtea, & meliori cum effectu cathartica adhiberi poſſint) qualia ſunt tartar. ⊖lat. Crem. tartari. ſal. abſinth. centaur. card. ben. -∽- C.C. cochlear. ✱ci. ſimpl. vel aromat.

aromat. tinct. ℥iii. ♂is aperitiv. quæ pro ratione affectûs & ægri conſtitutione atque ætate, ritè adhiberi debent.

XXXIII. Sequuntur hæc purgantia, quæ in iſto affectu plurimum ſæpiſsimè valent, modò ne fortiora vel largiori doſi præſcribantur. Poſſunt autem vel in forma pilulari, vel apozematis, vel conſervæ, prout ægri palato arriſerit, exhiberi, cujusmodi ſunt M. pil. cochiar. aurear. è tribus. Extr. panchimag. Crol. quibus pro lubitu majoris ſtimuli gratiâ addi poſſunt reſin. ſcammon. jalap. ad grana aliquot, quarum poſterior palmam præfert, modò cautè ſemper exhibeatur, nam aliàs hypercatharſin facilè producit. Decoct. fol. ſen. cum rhab. & ſem. aniſ. tutò ſemper propinatur, cui magis placet eſſentia purgans, parari ea poterit ex rad. jalap. hermod. turpeth. diagrid. cum ♁ Vini infuſa per aliquot dies: filtratio edulcorari poteſt cum julep. roſar. vel ſyr. viol. Nec vomitoria omittenda ſunt, præcipuè autem illis præſcribenda, qui vomitum facilè ferunt, cujusmodi ſunt tartar. Emet. Mynſ. aq. ben. Ruland. ſyr. emet. &c. ubi imprimis obſervandum, ut ægroti ſemper ſuperbibant juſcula, & quidem largiori copiâ, quò faciliùs, & minori cum ægroti moleſtia, vomitus moveatur.

XXXIV. Cùm omnia ferè purgantia ſint diuretica, non extra rhombum erit, etiam de diureticis, aliquid addere, quatenus non ſolum inter univerſalia evacuantia numerantur, ſed imprimis etiam ipſorum ope ſerum ad renes & veſicam propellitur. In hoc autem affectu, imprimis obſervandum eſt, diuretica non omnibus tutò propinari poſſe, & præſertim illis nocere, qui calculo renum laborant. Novi enim duos, qui ex aſſumptione balſ. ſulphur. therebinth. quo pro calculo renum uſi ſunt, hydrocelem ſibi contraxerunt, quare etiam ſuprà §. 17. cum Excellentiſſimo ſæpiusque laudato

 dato

dato Excell. Hardero calculoſam in renibus congeriem pro cauſa hydroceles ſumpti.

XXXV. Prout verò non omnes, qui hydrocele laborant, calculoſi quoque ſunt, ita aliis ſummo cum fructu præſcribi poſſunt diuretica, blandiora tamen, & doſi proportionata, cujusmodi ſunt ſal. ol. ſuccini. balſ. ſulph. ſuccin. omnia thereb, ol. & ⌒ junip. arcan. dupl. tinct. tartari. imprimis etiam ex vegetabil. radic. 5. aperit. graminis, grana cynosbat. junip. &c. præ aliis autem commendatur in hydrocele rad. & fol. ebuli.

XXXVI. Diaphoretica, quatenus lympham attenuant, & maſſam ſanguineam à ſeroſa colluvie liberant, per poros cutis vacuando, non niſi felici cum ſucceſſu etiam in hydrocele adhibentur: cujusmodi ſunt volatilia ſal. CC. ejusdem ſpiritus, C. C. phil. præparat. ♁. diaph. bez. mineral. jovial. cinab. ♁nii. ſpir. ✱ci ejusdemque flores, omnia cum convenienti vehiculo ſumenda.

XXXVII. Nec verò internorum diligenti uſu omnia conſequimur, quin externa ſummè neceſſaria ſunt, imò ſæpius unico tantùm cathartico exhibito, poſtea totam curationem externis abſolvi. Supervacaneum foret, hic colligere omnia ea remedia, quæ apud probatiſſimos extant authores, quæ etiamſi præſtantiſſima ſint, non ſemper tamen optatum nobis oſtendunt finem & effectum: nec eadem omnibus & ſingulis conveniunt, quippe medicamenta pro ratione affectus & morbi duratione ſæpius ſunt mutanda.

XXXVIII. Hydrops ſcroti in infantibus ſæpiùs curatur, ſi linteum ſolo ſpiritu aniſi humectetur, eoque ſcrotum involutum poſtea ſuſpenſorio ne decidat, alligatur.

XXXIX. Non minoris virtutis eſt unguentum ſequens

quens tepidè illitum ℞. Ung. Martiat. Nic. altheæ comp. ol. cheiri āa. ℥j. Mſ. ℞. But. recent. ℥ij. axung. tax. urſ. cati ſylv. āa. ʒij. reſin. ʒj. ceræ. ʒij. camph. gr. xv. ol. junip. ex bac. gt. vj. Agmen verò claudit Empl. de baccis lauri, cujus ſequens deſcriptio. ℞. Thuris, maſtich. āa. ℥j. bacc. laur. ℥ij. cyperi. coſti. āa. ℥j. ol. laur. thereb. Venet. ceræ citr. āa. ℥ß. Mellis deſpumat. q. ſ. fiat empl. inducatur corio, renovando alternis diebus.

XL. Si alvus non reſpondeat, manna tabulat. aut ſyr. flor. perſic. ſolicitetur, imprimis verò cavendum, ne infans frigidiori exponatur aëri. Nutrix utatur diætâ laudabili, à fructibus & cibis crudioribus abſtineat, & acria vitet.

XLI. Adultioribus jam fortiora adhibenda ſunt, præſentiſſima autem remedia ſunt alcalia, lixivia nempe vel è ſapone vel è cineribus ſarmentorum, ligni querc. cum 🜅 vini mixta, & calidè linteis vel ſpongia ſcroto circumpoſita. Imprimis verò hic conducit lixiv. calcis. cum aqua font. & ✱co ſale ſecund. Schrœderi deſcriptionem: ubi tumor diminuitur, Empl. de bacc. laur. imponatur, plura qui deſiderat, adeat Foreſtum & l. 27. Obſ. 26. ſylvam optimorum medicamentorum reperiet, ubi quoque inter alia optimè monet: *Si hydrocele vel aqua intercutis ſymptoma cum ventris tumore ſit, danda eſt opera, ut aqua, quæ in peritonæo continetur, frequentibus abſumi poſſit evacuationibus, fruſtrà enim aquam in ſcroto contentam, topicis remediis abſumere tentamus, non evacuato prius peritonæo.*

XLII. Hydrocele, ubi lympha intra teſticulorum tunicas continetur, inque diverſis inter ſe diſtinctis cellulis & folliculis colligitur, difficillime topicis curatur, præſertim, ubi jam inveterata ſit: quia tunicæ tractu temporis craſſiores & compaſtiores fiunt, ita ut ſæpiſ-

ſimè

ſimè corneam induant naturam, remediorumque vires eludant. Et etiamſi planè curata videatur, tamen plerumque redit, quare etiam ad Chirurgiam ægrotis confugiendum eſt. Nec prius in ea quid feliciter tentari poteſt, quàm æger & medicamentis & diætâ bene præparatus ſit, nam ex temeraria ſcroti ſectione inopinatam ſequi poſſe mortem, plures hinc inde teſtantur obſervationes.

XLIII. Chirurgia in hoc affectu, omnem abſolvit ſcopum, effato Hip. *Quæcunque, dicit, medicamenta non ſanant, ea ferrum ſanat.* Si enim medicamentis tam internis quàm externis, lympha contenta reſolvi atque diſcuti non potuit, ferro tumor aperiendus eſt, & quidem in hydrope ſcroti, vel punctura ſimplici, vel ſetaceo, ubi imprimis obſervanda eſt præcautio, quam ſupra jam §.41. indicavi, nam ſi abdomen aquâ repletum ſit, hæc ſcroti apertio parum aut nihil juvabit, imo non rarò ſphacelum producet.

XLIV. Puncturam ſi quis inſtituere vult, eliget inferiorem ſcroti partem, probè obſervando, ne nimis profundè vel acum, vel lanceolam adigat, neve in ſutura ſcroti ſectionem inſtituat, quo facto, turundam ex linteis carptis imponat, & emplaſtro impoſito, ne omnis aqua ſimul effluat, diligenter cavendum; ſcrotum verò commodo ſubligaculo ſuſpendatur. Cui ſetaceum arridet, cautè id traijciat, obſervando ne tunicæ teſticulorum propriæ lædantur, unde dolor, inflammatio, & alia ſymptomata provenire poſſent. Ego ſimplicem inciſionem ſ. puncturam ſetaceo ſemper præferrem: ſicuti etiam cauteria tam actualia, quam potentialia in hoc affectu reijcio, ob incertitudinem effectûs, & ſymptomata ſupervenientia.

XLV. Aquâ omni detractâ & ſcroto collabente,

te,

te, nonnulli ex induſtria turundis impoſitis impediunt ulceris conſolidationem, & firmiter credunt, ſe ea methodo radicitus morbum tollere poſſe. Quod tamen incerto ſtare talo, quotidiana nos docet experientia, plures ipſe cognovi, qui ſæpius hanc operationem (ſimpl. ſc. puncturam) repetere coacti fuerunt, vide hac de re Hild. Obſ. 66. Cent. 4.

XLVI. Longe alia via incedendum eſt in hydroceles tractatione, quæ etiamſi prolixius ab authoribus deſcribatur, tuto tamen non ſemper imitanda eſt. Ego ut rem paucis abſolvam ſequentem modum laudo. Fruſtra adhibitis omnibus remediis, tam internis quam externis, diligenter obſervandum eſt, an hydrocele ſit magna vel parva, & an nulla excreſcentia carnoſa teſticulo ſit adnata (parvam voco, quæ tunicam erythroideam circa teſtem tantummodo diſtendit, magnam vero, quæ eandem ad inguen uſque dilatat) his probe cognitis, in parva hydrocele ſcrotum primo ſecundum longitudinem incidatur, idque ægro decumbente, quod abſque notabili hæmorrhagia & dolore fit: poſtea demum tunica erythroides, (evitando majora vaſa) aperiatur ſectione proportionata, pro ratione tumoris, ut eo melius remedia conſolidantia adhiberi posſint: ſcrotum interim foveatur, impoſitis compresſis ſ. pulviſculis inflammationem arcentibus, vulnuſque lege artis conſolidetur.

XLVII. Ubi hydrocele magna fuerit, Method. Fabr. Hild. inſtituatur inciſio, quam loco citato ita deſcribit. *Ut operatio recte & majori cum facilitate adminiſtretur, non ſuper ſcamnum ligandus eſt æger, nec ſupinus decumbere, ſed in ſella ſedere debet, ut melius aqua deorſum deſcendat, & tunicæ in inguine facilius ſeparari & acu apprehendi poſſint.* Hoc tantum monere volui

non ſemper opus eſſe acus trajectione, tunicæque conſtrictione, ſed potius animadvertendum, ut tota tunica dilatata ſecundum longitudinem aperiatur, poſteaque appropriatis vulnerariis conſolidetur. Nec terreat Chirurgum vulneris magnitudo, nam etiamſi primo intuitu ingens eſſe videatur (ob magnam diſtentionem partium affectarum) obſervabit intra 24. horarum ſpatium membranas valde corrugari, vulnuſque contrahi. Contra vero, ubi inciſio fuerit parva, aqua non omnis evacuari poteſt, neque medicamenta convenientia commodè applicari poſſunt, adde quòd inflammatio major ſuperveniet. Quid in hydroſarcocele faciendum ſit, infra dicetur.

XLVIII. Tandem his omnibus addatur, diæta conveniens. Aër ſit purus & temperatus. Cibus ſucci laudabilis & facilis digeſtionis, fugiatur caro ſuilla, caprina, fumo indurata, ſalita, piſces lacuſtres, cœnoſi, fructus crudiores, poma auſtera, legumina, piſa, fabæ: caſeus: aqua turbida, limoſa, muſtum recens. Somnus & vigiliæ modum non excedant, & ſicut vita ſedentaria nocet, ita a nimio motu, præſertim ab equitatione ſibi caveat æger. Alvus ſtrictior, nonnunquam leni cathartico ſolicitanda. Animi pathemata, ira, triſtitia, &c. quæ humores acriores reddere poſſunt, ſedulo vitentur, &c.

XLIX. Sarcoceles ſ. herniæ carnoſæ curatio unicâ abſolvitur indicatione, quæ eſt, carnem ſuperfluam, & p. n. teſticulo adnatam auferre: fini huic ex voto obtinendo varia inſerviunt præſidiorum genera, deſumta vel ex pharmacia, vel ex diæta vel ex chirurgia.

L. Quid pharmaca tam interna, quàm externa hoc in affectu proſint, practicorum ſcripta, & celeberrimorum authorum obſervationes nos hinc inde

abunde

abunde ſatis docent, de quorum fide & ſincera relatione non dubitandum. Imprimis vero laudibus extollitur, & in hoc affectu pro ſpecifico obtruditur rad. ononidis ſ. ~~burſæ paſtoris.~~ Ego ſæpius & in diverſis ſubjectis eam præſcripſi, experientia a. didici. 1. Illam non in omnibus diureticam exiſtere. 2. In pluribus anorexiam & cardialgiam inducere. 3. Sarcocelem veram nequaquam ex ejus uſu continuato imminui, unde verisſima eſſe, quæ Excell. D. Borrichius ſcripſit, propria experientia teſtari poſſum: verba ejus hæc ſunt. Act. Hafn. An. 1671. ut 72, Vol. 1. Obſ. 97. *Proinde non ſatis providi rei æſtimatores mihi videntur, qui confirmatam ſarcocelem vel medicamentis diſcuſsiſſe ſe, vel diſcuti poſſe evulgant, quod nimium occalleat maſſa illa & mille plexibus nervoſis, iisq; ſolidis contrahat invictam duritiem. Crediderit Matthiolus in dioſcoridem, crediderit Scultetus in armam. Chirurg. ſeſe ſarcocelem pulvere ononidis percuraſſe nihil tamen mihi ſit veriſimilius, quam fuiſſe hydrocelem duriori cortice circumdatam, atq; ideo ſarcocelem mentientem, &c.*

LI. Interim tamen non inficias eo herniam carnoſam incipientem, ſupra §. 31. 32. 34. 35. &c. laudatis medicamentis rite uſurpatis non nihil inhiberi poſſe ne minis augeatur, quamvis externa imprimis & ſemper quoque adhibenda ſint. Cujuſmodi ſunt fomentationes ex lixivialibus: vel Empl. ſequens. ℞. ol. oliv. ℔ß. ſev. Cerv. ℥x. minij. ℥iij. bol. armen. ter. ſig. an. ℥ß. Cret. angl. ℥j. Bol. alb. ℥iij. M. f. empl. inducat. corio; ut hæc medicamenta eo melius detineantur neque teſticulus pendulus maneat, ſuſpenſorio opus eſt: his omnibus probè adminiſtratis & obſervata diæta §. 47. deſcripta interdum æger per plures annos hunc affectum abſque incommodo circumferre poteſt: qui vero omnimodam cura-

tionem deſiderat, Chirurgicas imploret manus, quæ omnia ea, quæ reliqua Medicinæ inſtrumenta præſtare non potuerunt, efficient, ægrumque in ſalvum conducent portum. Scio equidem multos adhuc hodie reperiri, qui ſe emplaſtris ſarcocelen curare poſſe, jactitent: illi vero non bene diſtinguendo affectum, ſemet ipſos decipiunt & alios. Nec ignoro tumores teſticulorum ſcirrhoſos ſępiſsime topicis curari, præſertim illos, qui gonorrh. virulentæ ſupervenerunt. Valde hic conducunt Emplaſtra ex gumat. compoſita, inprimis vero illud Loſsij deſcriptum l. 3. obſ. C. 2. quod conſtat ex Empl. de cicuta cum gum. amoniaco: vel etiam Empl. de Ranis cum ☿rio.

LII. Lubens hic proponerem Fabr. ab aquapend. methodum p. 2. l. de tumor. c. 37. §. 4. & Pauli Barbette. p. 1. c. 25. §. 6. deſcriptam, niſi me veſtigia aliorum in arte Chirurgica verſatiſsimorum, inprimis vero Batavi cujuſdam Medici in arte Machaonica exercitatiſsimi exemplum (cujus nomen honoris cauſa ſupprimo) deterreret. Hic n. tam medicamentis ſuppurantibus, quam reiteratæ carnoſæ ſubſtantiæ circumciſione (ſi ita loqui licet) tantum effecit, ut æger in periculoſiſsima inciderit ſymptomata, & vix tandem cum omnimoda teſticuli ablatione curari potuerit.

LIII. Nec eos laudo, qui emollientibus induratam ſarcocelem ad ſupurationem perducere ſatagunt, cum plerumque duo inconvenientia inde ſequantur. 1. Quam diu hic medicamenta emollientia imponuntur, tactu mollis non nihil tumor apparet, ſed leviſſimo frigore externo accedente, vel etiam medicamentis ablatis priſtinam induit duritiem, & magis augetur emollientibus, quam ſi nihil impoſitum fuiſſet. 2. Non raro ejusmodi medicamentis exacerbatur, & in cancrum

degene-

degenerat, id quod non ita pridem doctiſſimo cuidam viro accidiſſe, memini.

LIV. Cauteria actualia & potentialia, aliaque medicamenta eſcharotica non æque tuto adhibentur, quippe quæ non raro ægrum in diſcrimen conjiciunt graviſſima inducentia ſymptomata, id quod pluribus confirmatur ex Montagnanæ conſil 227. rubr. 4. apud Foreſt. l. 27. obs. 23. p. 613.

LV. Elegantiſsimum ſarcocelem curandi modum nobis ſcriptis ſuis reliquit acutiſsimi ingenij Harvæus qui in tr. de gener. anim. exercit. 19. p. m. 120. ita ſcribit. *Ad hoc arteriarum officium, ſive ſanguinis circulationem reſpiciens, ingentes aliquando hernias carnoſas, præter omnem ſpem, perfecte curavi id ſolum agens, ut præciſa vel ligata arteriola, nihil nutrimenti, ſpiritus ve ad partem laborantem accederet: quo factum, ut tumor morticinus facile poſtea vel ferro, vel igne exſtirparetur. Habuit quidam præ cæteris (idq; complurium fide dignorum teſtimonio confirmare poſſum) ſarcoſin in ſcroto, ſive herniam carnoſam humano capite majorem, genuumtenus deorſum pendulam, indeq; ſurſum carnoſa moles ad carpi magnitudinem (ceu funis nauticus) abdomen ingrediebatur, adeoq; malum increvit, ut nemo ferro vel aliter curam aggredi auderet. Hanc tamen ingentem excreſcentiam, ſcrotum tantopere diſtendentem, teſticulumq; in medio ejus obvolventem, quo dixi modo plane abſtuli, & curatione perfecte defunctus ſum, relicto interea teſti vaſe ſuo præparante, & deferente: reliquis in ſcrotum per vaginalem tunicam, deſcendentibus ſalvis & intactis.*

LVI. Quamvis de experimenti hujus veritate nullus dubitem, optarem tamen, ut vel obſervationes ejus medicinales (quas loco cit. promittit) etiam ad noſtras perveniſſent manus, vel ut optimus ille vir melius ſen-

tentiam ſuam explicaſſet, nec tantum difficultatis, quantum imprimis ex accuratiſsima Sarcoceles Anatome Excell. D. Olai Borrichij loco cit. reſultat: ubi hæc leguntur. *Frequenter ſarcocele non tam adnaſcitur teſtibus, quam innaſcitur, h. e. totum teſtem, ejusq; vaſa omnia materiæ novæ acceſſu infarcit, & porrigit, ut aliquando etiam vigecuplo ſe ipſo gravior, ampliorq; evadat.* - - *Diſſecta n. quaquaverſum informi mole, ut teſticulus verus, quem intus deliteſcere quidam ſuſpicabantur, in conſpectum veniret, deprehenſum clariſſime fuit, totum illud enorme corpus teſtem fuiſſe.* Fabr. ab Aquap. p. 1. de operat. Chir. c. 79. in ſarcocele ſequentia obſervavit. *Invenimus teſtem cum carne adnexa exterius ſanum, intus putrefactum*, unde clarè patet, quòd inventum illud Harveianum nec in priori nec in poſteriori caſu feliciter adminiſtrari potuiſſet.

LVII. Methodus hæc Harvejana apertè contradicit Celſo, qui l. 7. c. 23. *Caro quoque, inquit, ſi quando inter tunicas concrevit, nihil dubii eſt, quin eximenda ſit, ſed in ipſo ſcroto inciſio fieri commodiùs eſt. At ſi nervus induruit, curari res neq; manu, neq; medicamento poteſt, &c.* Cui calculum quoque addit ſuum Fabr. Hild. C. 4. Obſ. 64. *Si enim inquit, ſcirrhoſa illa materia proceſſu, ſive didymum ut vocant, jam occupat, & abdomini adhæret, fruſtrà tentabitur inciſio, & Chirurgo infamiam, ægro verò immaturam mortem inferet.*

LVIII. An. 1683. vidi ægrotum quadragenarium aliàs ſatis vegetum & robuſtum, qui jam ab aliquot annis inſigni laboravit ſarcocele (potius pondere quàm dolore moleſta) cujus durities inguen dextrum pervadebat, is, quamvis orchotomiam feliciter ſuſtinuerit, vulnusque ritè conſolidatum fuerit, exiguo poſt temporis ſpatio fatis ceſſit, poſtquam intenſiſſimos dolores in regione lumborum ejusdem lateris ad mortem uſque perpeſſus fuit. Inſpectio corporis poſt mortem denegata fuit, nunquam tamen dubitavi, quin ex priori duritie, quæ in operatione tolli non potuit, omnia hæc ſymptomata provenerint.

LIX.

LIX. Sicut in Sarcocele, quæ vel minimam malignæ indolis ſuſpicionem movet (quæ ex dolore punctorio & lancinante modò in teſte, modò in lumbis cognoſcitur) meliùs eſt manus abſtinere, ne vel fatum ægroti præcipitetur, vel fama Medici periclitetur: ita etiam omnimoda teſticuli ablatio ſatis tutò fieri poteſt, in ſarcocele, ubi præter pondus nullus adeſt dolor, nec ubi tumor inſtar funis craſſioris ad inguen uſq; ſeſe extendit: nam quo tenuiora ſunt vaſa, eò ſecuriùs adminiſtratur operatio, modò ſecundùm monitum Hip. Aphor. S.1. §.1. *Medicus non modò ſe ipſum exhibeat, quæ oportet facientem, ſed etiam ægrotus & præſentes & externa.*

LX. Quâ ratione operatio illa inſtitui debeat deſcribit Fabr. ab Aquapend. p.1. de operat. Chir. c.76. & p.2. l.1. c. 33. & 37. paulò prolixior eſt M. A. Severinus in pyrotechniæ Chirurg. l.2. c.73. uterque verò modus in eo rejiciendus eſt, 1. quòd cauterio actuali poſt operationem utantur, 2. ſcrotum conſuant. 3. hamulis partes tractent. Mitiorem modum habet Th. Fienus l.10. c.7. cui quoque adſtipulatur Joh. von Horn. microtechn. S.2. p.1. §. 24. quem hodie plerique ſequuntur.

LXI. Antequam verò hæc operatio inſtituatur, corpus & Medicamentis & diætâ præparetur: Chirurgus autem omnia ad operationem neceſſaria parata habeat: cujusmodi ſunt, ſcalpellus, acus, filum, forfex, ſpongia: lintea carpta, turunda, unguentum vulner. emplaſtrum, compreſſæ ſ. pulvilli, ſubligaculum.

LXII. Pulveres vel aquæ ſtipticæ non requiruntur, multò minùs cauteria actualia, (quæ §.59. rejecimus) ſi enim operatio ritè ſit adminiſtrata, & vaſa ſpermatica firmâ ligaturâ probè ſint conſtricta, nulla hæmorrhagia ſubſequi poteſt, quia in reliquis ſcroti vaſis ſanguis per ſe ſubſiſtit. Durante operatione Chirurgus præſenti debet eſſe animo, & omnia cito, tuto, minimoque quo fieri poteſt dolore peragere: tandem vulnus debito modo curetur & conſolidetur.

LXIII. Reſtat nunc, ut hydroſarcoceles curationem quoque addamus, illa conſiſtit in ablatione teſticuli, ſicut optimè nos docet Fabr. Hild. Cent.4. Obſ. 67. Quotiescunque

que inquit, Chirurgus una cum aqua carnem circumcirca teſticulum concretam ſubeſſe cognoverit, præſtat ſcrotum incidere, teſticulum & quicquid circa ipſum concretum, ſeparare atque exſcindere, dummodo id radicitus fieri poſſit. Etiamſi Fabr. ab Aquapendente Part. ſec. l. 1. cap. 37. alium proponat modum, non tutò tamen imitandus eſt.

DEO GLORIA

COROLLARIA.

1. *Sicuti catarrhacta jam confirmata, non aliter quàm Chirurgiâ id eſt acu artificiosè deprimitur & curatur, ita etiam illa, ubi pupilla immobilis exiſtit, nec æger lumen à tenebris diſtinguere poteſt, planè incurabilis habetur.*

2. *Gutta ſerena interdum decoctis ſudoriferis & ſetaceo curatur.*

3. *Guttam ſerenam cum hemicrania & plica polonica ſalivatione curavi, Plicâ remanente.*

4. *Si cilia invertantur, & tunicam adnatam irritando oculis inflammationem pariant, tarſi cum ciliis præſcindendi.*

5. *Catarrhacta feliciſſimè depreſſa, leviſſimâ de cauſâ priſtinum locum occupare ſolet.*

6. *Globuli, muſcæ, capilli ante oculos verſantes, incerta futuræ catarrhactæ ſigna ſunt.*

7. *In hypopio & ſtaphylomate, ſi medicamentis topicis nihil efficiatur, circularem inciſionem ſemper ſimplici punctioni præfero.*

8. *Ductus naſales (vel ſi mavis lachrymales) in majori oculi cantho ſiti, nonnunquam muco aut pituitâ ita obſtruuntur, ut non tantùm ægilopem mentiantur, ſed vertiginem, per nares reſpirandi difficultatem & alia ſymptomata producant, qui verò morbi cauſâ benè inveſtigatâ, facilè reſerantur.*

9. *Herniæ inteſtinales & omentales in omnibus abdominis regionibus oriri poſſunt.*

9. *Herniæ inteſtinales in adultis æquè ac in infantibus quàm ſæpiſſimè topicis curantur feliciſſimè: modò omnium fibrarum annulos componentium ratio habeatur.*

11. *In*

11. *Inteſtina per aliquot annos in ſcroto incarcerata, plerumq; cum ...oti tunicis annaſci ſolent, id quod ſæpiùs & ægrotis & incautis chirurgis ...neſtum exitioſumq; fuit.*

12. *Si enterocele chirurgicâ ſectione & quidem cum teſticuli abla...one curatur, non refert, etiamſi magna omenti portio ad 5.7.9. uncias, processui incluſa,) præſcindatur.*

13. *Hernias inteſtinales vel maximas non tantùm ſuperſtitioſâ ...ansplantatione, ſed etiam absque ullo remediorum uſu, & ſine ægroti ...ecubitu, interdum ægris inſciis curari, vivum me docet exemplum.*

14. *Non tantùm jejunum & ileon cum omento in herniis proci...unt, ſed etiam cæcum & colon.*

15. *Teſticulus in inguine latens, à magnis viris non raro pro bubo...ocele tractatur, & vinculis ſ. ſubligaculis in ægri perniciem ſatis validè ...nſtringitur.*

16. *Punctum aureum, etiamſi à peritiſſimo adhibeatur, non ſemper ...men feliciter ſuccedit, eamq; operationem, (præſertim ſi non ritè admi...iſtrata fuerit) ſymptomata ſequuntur morbo ipſo graviora & periculoſiora.*

17. *Hernia ſic dicta varicoſa ſeu cirſocele confirmata, Chirurgiâ ...ntùm curatur, cum ablatione teſticuli.*

18. *Multi imponunt ægrotis, præſertim timidis, eos hernioſos decla...ando, ſi naturæ luſu alter teſticulorum in majorem increſcat molem.*

19. *Uterum procidere poſſe, nemo Medicorum negabit.*

20. *In uteri procidentia ſublevanda & retinenda annulos peſſa...riis præfero.*

21. *In difficili partu non tantùm inverti ſæpiùs uterum, ſed inter...lum etiam ab obſtetricibus imperitis dilacerari, certo mihi conſtat.*

22. *Ani procidentia inveterata & contumax, cauterio actuali fa...ilè curatur abſq; dolore.*

23. *Hæmorrhoides cæcæ nonnunquam urinæ ſuppreſſionem gignunt, & tunc catheter non niſi ſummâ cum difficultate per collum veſicæ in...flammatione affectum immittitur.*

24. *Ureteribus obſtructis fruſtra cathetere in veſicam immiſſo uri...na deſideratur.*

25. *In lithotomia apparatus major minori ſemper præferendus, non ...am ob inflammationis metum, quam digitorum in anum intruſio produ...cere poteſt, quàm ob læſionem inteſtini recti.*

26. *Calculus veſicæ vel folliculo incluſus, vel intra veſicæ rugas de-*

liteſcens, vel circa inſertionem ureteris in veſicam reconditus, catheteris explorationem eludit.

27. Ulcera veſicæ, mucus circa collum ejus hærens, condylomata hinc inde parietibus internis veſicæ adnata, eadem ſymptomata habent ac ſigna cum calculo veſicæ, nec catheteris exploratione certi quid definiri poteſt.

28. Fragmenta calculi poſt lithotomiam in veſica relicta, calculo pabulum præbent.

29. Nux vomica (peſtis plurimorum animalium) non tantùm virulentæ gonorrhœæ remedium eſt præſens, ſed etiam in febribus tutò præſcribitur.

30. Gonorrhœa virulenta & præcipuè inveterata ſalivatione non curatur.

31. Sicuti lues venerea cum exoſtoſi conjuncta vix aliter, quàm ☿rialib. curatur, ita etiam vel minimum cariei veſtigium poſt curationem relictum, facilè recidivam facit.

32. Virus ♀reum per aliquot annos ſine ægroti incommodo latere poteſt, nec etiam per puſtulas, maculas, nodos, dolores capitis artuumq; ſemper ſe prodit.

33. Trepanum in fracturis, depreſſionibus &c. cranii, ſæpiùs quinquies vel ſexies in uno eodemq; homine, ſummo cum fructu applicatur, nullâ habitâ ſuturarum ratione, in quibus æquè tutò cranium perforatur.

34. Ipſa dura mater in ægri ſalutem re exigente incidi poteſt.

35. Fractura oſſis femoris hominis adulti, ubi os cutim perforat, valde periculoſa, interdum lethalis.

F I N I S.